ISIDORUS HISPALENSIS
12. Jh. Seite 118v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26139
Copyright: Admont, Benediktinerstift



mareotica inquit. Ehenus autem crepundiis inligatur ut infantem
uisu nigra non terreant. Platanus a latitudine foliorum dicta. uel quod
ipsa arbor patula fit et ampla. nam platon greci latum uocant.
Expressit huius arboris scriptura et nomen et formam dicens. quasi pla
tanus dilatata sum in plateis. Est autem tenerrimus foliis ac mol
libus et uitium similis. Quercus (aicha) siue quernus quod ea soliti erant
dii gentium querentibus responsa pcinere. arbor multum annosa
sicut legitur de quercu mambre sub quo habitauit abraha. que fertur
usque ad constantini regis imperium per multa secula perdurasse. huius
fructus galla appellatur ex quibus una agrestis. Orfacitis dicta
parua forma sed firmo corpore atque nodoso que medicami
nibus et incaustis adhibetur. altera balanis lenis ac leuis et
nimium perforata lucernarum tantum usibus necessaria. Fraxinus
uocari fertur quod magis in aspera loca montanaque fraga nascitur.
hinc per deriuationem fraxinus sicut a monte montanus. de quo
ouidius. et fraxinus utilis hastis. Taxus (iwin pdm) uenenata arbor unde
et toxica uenena exprimuntur. ex hac arcus. parthi et alie
gentes faciunt unde et poeta. itureos taxi torquentur in arcus
itureos autem dicunt parthicos. Acer coloribus impar. robur autem
generaliter dicitur. ex omni materia quicquid est fortissimum. Alnus uo
catur quod alatur amne. proximo enim aque nascitur nec facile
extra undas uiuit. hinc et tenera et mollis quia in humectis
locis nutritur. Ulmus nomen accepit quod uliginosis locis et humi
dis melius proficit. nam in montanis et asperis minus leta est.
Larex cui hoc nomen a castello laricino inditum est ex qua tabu
le tegulis ad fixe flamam repellunt. neque ex se carbon am
buste efficiunt. Populus dictum quod ex eius radice calce mul
titudo nascatur. cuius genus duplex est. nam altera est alba altera
nigra. Alba autem populus dicta quia folia eius una parte sunt alba

platano
Quercus
Fraxino
Taxo
Alnus
Ulmo
Larice
populo